Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26044
Copyright: Admont, Benediktinerstift

nes. necessarium et exiguum de martirio librum conscripsit. Maximinus vero III imperii sui anno.
apud Pupienum Aquileie interficitur. Pupienus autem et frater eius Balbinus dum regnum usurpare cona
rentur in palacio VITA PRIVANTUR. XXXIII.
Anno ab incarnatione domini CCXLI. Gordianus post Maximinum XXIII ab augusto imperare cepit. Pon
tiano quoque defuncto Antherus successit. Quo mortuo Fabianus ut tradunt celitus per colum
bam lapsam et super caput eius manentem dignus episcopatu iudicatur. Quod tamen alii super Zepheri
num gestum tradunt. Tunc etiam apud Antiochiam episcopo Hebenno defuncto. Babylas ecclesie sus
cepit principatum. Apud Alexandriam vero Demetrio successit Heraclas. Eo tempore extiterunt multi qui
civitatem dei scriptorum suorum monumentis declararent. Quibus Africanus vir inter scripto
res ecclesiasticos nobilis. multa librorum monumenta reliquit. Gordianus admodum puer
Parthis bellum indicit. Quos dum diversis pluries prospere gestis pressisset ipse suorum frau
de VI imperii sui anno super Eufraten interficitur. XXXIIII.
Anno ab incarnatione domini CCXLVII. M. Iulius Philippus XXIIII ab augusto cum filio suo
Philippo regnum sortitur. Hic primus imperatorum christianus fuit. Anno imperii eius III millesimus ab
urbe condita impletus est annus. cum omnium gaudio magnificis ludis ab imperatore ce
lebratur. De hoc fertur quod dum in vigilia pasche ecclesiasticis vellet interesse sacramentis. ab
episcopo loci non prius est admissus. quam inter penitentes culpas que de eo ferebantur ablueret.
Quod ipsum cum magna humilitate suscepisse dicunt. XXXV.
Anno ab imperio eius VI. tumultu militari. ac Decii fraude cum filio suo neca
tur. regnavitque pro eo XXV. ab augusto Decius anno ab incarnatione domini CCLIII. Hic ob odium
Philippi inmanissimam in civitatem dei VII a Nerone persecutionem movit. Qua Fa
biano Romano pontifice martirio coronato. Cornelius cathedram suscepit. Hyerbinus quoque
magnus civitatis dei princeps Alexander coronatur. Heracle quoque in Alexandria paulo
supra Dionisius. SUCCESSERAT. XXXVI.
Decius. III imperii sui anno cum filio suo inter barbaros interficitur. Cui Gallus cum filio
Volusiano XXVI ab augusto succedit. Huius diebus LXX etatis sue anno Origenes
moritur. Tunc etiam inter Cyprianum Cartaginensem episcopum et Cornelium Romanum pontificem sancti
tatis eximie viros utrosque scrupulosa questio oritur. Cypriano cum Africanis episcopis asse
rente hereticos qui ad ecclesie unionem redeunt rebaptizandos fore. Cornelio vero
cum sacerdotibus per Italiam constitutis confirmante sola eos manus inpositione pur
gandos. sacramentumque baptismi nulla ratione iterandum. Scripsit autem Cyprianus exi
mie sapientie ac affluentissime eloquentie de fide nostra libros. Rome Cornelio